

Super juramento Vice-Comitum et aliis ad Dicæ Regiae exactionem spectantibus; Articulis praeteritorum Annorum inhaeretur: Et novi exactores rationum priorum constituti.

A r t i c u l u s 4.

§. 1. Pro exactore rationum priorum Annorum, in Comitatibus Regni superioribus, loco Georgii Tyrnaviensis, Petrus Mladessovith; in Sclavonia, Reverendissimus Dominus Episcopus Zagrabiensis, Magnificus Dominus Nicolaus Istvanffy et Egregius Stephanus Beryzlavith nominantur.

De stipendio militari; Generali et particulari Insurrectione et aliis: Deque laboribus gratuitis; Anni proxime praeteriti Articulus septimus et octavus renovati.

A r t i c u l u s 7.

§. 1. Sclavonia de suis Confiniis et de restauranda Chazma prospiciat.

Ut Capitanei Confiniorum, eorumque Vice-Capitanei et milites stipendiarii, quorumvis praedia, terras, sylvas, aquas et similia, violenter non occupent: Nec quorumcunque colonos recipiant: Et ut a colonis, in bona Dominorum et Nobilium condescendentibus, Decimae exigantur; et Dominis terrestribus terragium, sive Nona ab eis praestetur.

A r t i c u l u s 14.

Conqueruntur hoc loco Domini Praelati, ac tam Ecclesiasticus quam Saecularis Ordo universus; signanter vero Capitula Strigoniense et Jaurinense, cum reliquis, quod tam milites stipendiarii, Confiniorum Capitanei, vel eorum Vice-Capitanei, praedia, terras arabiles, capturas piscium et usonum, ac foenilia et sylvas, sine ulla Domini recognitione, occupant, et quorumcunque colonos recipiunt; et nihilo minus in prioribus bonis ipsos tuentur:

§. 1. Idem fieri dicitur etiam in Sclavonia et Croatia per Valachos, qui nuper ex ditione Turcica eo se contulerunt, in Episcopatus Zagrabiensis et nonnullorum Dominorum et Nobilium bonis; utpote Dominorum Comitis a Zrinio, Dersffy, familiae Pogan, ac aliorum.

§. 2. Statuitur itaque; ut ab his omnibus Decimae exigantur et Dominis terrestribus terragium sive Nona praestetur.

§. 3. Inter alia autem; a dictis Valachis in Sclavonia et Croatia (qui et Jurisdictioni Dominorum terrestrium, ratione fundi et sessionis, quam incolunt et inhabitant, subjecti sint) idem praestetur. *)

*) Renovatur; An. 1608. art. 9. post Coronat. An. 1659. art. 1. An. 1715. art. 113.